ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Oratiunculam istam, quam tibi periisse scribis, Amplissime Hugeni, iterum mitto. Addidi et versus, sed à me castigatos. Puto enim me observasse ~~[illegible]~~ ea, quae minus ad Aulae palatum futura iudicas. Quanquam in istiusmodi carminis genere venia danda sit poetae, sexui, et qui non pt non festivius subinde loqui, addo et impotentius, Amori. Nec scripsi illa, ut lucem videant, sed ut inter paucissimos et intimae admissionis amicos pereant. Si quid putes reliqui adhuc esse in isto carmine, quod aulicorum gravitati minus conveniat, quaeso in margine tantum asterisco nota, et ubi commodum, remitte. Scrupulum adhuc mihi movet illud:

Non Batavis tanti, totaque Sylva mihi est.

Sed quid ni ita loquatur uxor, cui vel tota Brabantia carior est viri salus. Censuram vero tuam tantum abest, ut aegrè feram, ut hac nota verè ~~[illegible]~~ me et sine fuco amari à te cognoscam. Vitii aut erroris in amico dissimulatio amicitiae repugnat maximè. Tollit enim veritatem, sine qua nomen amicitiae valere non potest. Vale vir praestantissime, et me ama. Lugd. Bat. ~~ipsis Cal~~ propid. Cal. Sextil. CIƆIƆCXXXIX.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 35
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/459

Barlaeus

1. Aug. 29.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 35
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/459